



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

Dissertatio Ordinaria ex Jur. Nat. & Gent.

AN

TRADITIO
NECESSARIA SIT
AD TRANSFERENDUM
DOMINIUM,

AUSPICE NUMINE,

PRÆSIDE

HENRICO COCCEJO,
U.J.D. & Juris Gent. Profefs.
Ordin.

Respondente

JOH. HERMAN MEYER, ERBACO-
SCHÖNBERGENSI,

*Publicè ad ventilandum proposita
in Diem 25. Novemb. h. l. q. s.*



HEIDELBERGÆ,

Typis SAMUELIS AMMONII, *ACAD. Typogr.*
ANNO M DC LXXVI.

Non esse naturali jure necessariam traditionem ad transfere-
rendum dominium saepe contendit Grotius de I. B. & P. l. 2.
c. 6. §. 1. & c. 7. §. 25. & c. 12. §. 15. & c. ex quo inter sum-
mos Viros acerrimè id fuit agitatum. Nos, salvo eorum
judicio, statuimus, Traditionem omnino eo jure esse necessariam, nec
solam voluntatem partium sufficere. Quod ut demonstretur hæc
prænotamus,

II. 1. Naturalis domini ratio consistit in potestate seu jure rebus
fruendi, easq; nobis applicandi; cum enim res hujus terræ hominibus
concessæ sint, ut iis frui, indeq; se, vitamq; suam & corpus omnibus
modis sustentare possint, hanc ipsam potestatem rebus fruendi, easq;
sibi ac suis usibus applicandi, quatenus certo homini competit, *domi-
nium* dicimus.

III. 2. Ille autem actus, quo res ita nobiscum corporaliter con-
jungitur, & q in conspectu nostro ponitur, ut in custodia & potestate
nostra videatur, & corpore à nobis apprehendi possit, dicitur *traditio*;
& postquam ita jam in custodia nostra posita est, *possessio*.

IV. 3. Non tamen custodia & præsentia hæc aded strictè intelligi
debent, ut non nisi quod manu tenem⁹ in custodia nostra esse videatur;
non enim belluarum vitam agimus, quarum si una prædam ore ferat,
hæc ab altera occurrente illico eripitur; sed scil. homines non modò
ad se suaq; defendenda tectis & ædibus utuntur, sed & distinctas certis
locis possessiones habent, quas nemo ipsis invitis ingredi potest: &
quicquid ergo his tectis vel locis continetur, id omne videtur esse in
eorum potestate, custodia & præsentia, etsi illi longissimè absint; cum
illa loca & autoritate publica & ipsa lege naturæ ab aliorum impetio-
ne sint q. defensa & custodita.

V. 4. Cum autem corpus nostrum ejusq; membra tantum sint in-
strumenta per quæ agimus, perinde est, nostro an alterius corpore ita
apprehendamus; ea enim est natura omnis instrumenti, ut non ipsum,
sed is à quo movetur ac regitur, inspiciatur, quia illi⁹ non instrumenti ea
actio videtur: movetur autè ab eo, cujus nomine & autoritate movetur.

VI. 5. Dominium autem non tantum est in tota re, sed & in quavis
ejus parte quin & in solis fructibus, qui ex re nascuntur: quia & res in
partes & fructus à re ipsa dividi possunt; sed præter illud dominium,
quod est in re ipsa, reliqua in specie *jura in rem* dici solent.

VII. Hinc certa demonstratio: Non possumus naturaliter re frui,
eamve nostris usibus applicare sine traditione, quæ res illa nobis præsens
fiat, & in nostra custodia seu potestate constituatur ut corporaliter ap-
prehendi à nobis possit; quem actum traditionem dicimus: §. 2. V. g.
non possumus vino, frumento &c. frui, nec tignum emtum ædibus no-
stris

stris aut aliis usibus applicare, nisi hæc res manu quasi apprehendi & ita ad usus, quos volumus, transferri possint: nam naturaliter res fruenda conjungi debet cum persona fruente, & corpus ad usus aliquos applicandum aut transferendum præsens esse ei, qui applicaturus est; quousq; autem præsentia seu custodia hæc nostra, unde depromere quasi rem possumus, intelligatur, apparet *ex §. 4.* Atqui naturale dominium est ipsa hæc potestas re fruendi, eamq; nobis applicandi, *per §. 1.* E. naturale dominium non potest esse sine traditione.

VIII. Forsan regetur: Posse rem à possessore peti, & acceptam ad usus applicari. Resp. Ineptissimè: ex hoc ipso enim apparet, non posse eam applicari ad usus nostros, adeòq; dominium naturale constitui, nisi petita sit ac tradita.

IX. Instari potest: Sed hoc posito, ne quidem res in dominio nostro erit, etsi nobis sit tradita: quia & tunc alio loco esse potest, unde prius peti debet, & tunc demum applicari. Resp. Non petitur tunc ex aliena sed nostra custodia, adeòq; res nobis præsens & in nostra potestate est, etiam antequam inde petatur; quia potestas hæc non definitur eo quod in manu, sed omni eo, quod in custodia nostra est, *per §. 4.* Secus, si in alterius custodia & potestate sit, tunc enim ex ea ad nostram potestatem & custodiam traditione priùs transferenda est, antequam à nobis applicari ad usum aliquem possit; quod non fit, si jam sit in nostra custodia & potestate; tunc enim inde, quasi ex penu nostra vel per nos vel per alios illa depromitur ad quosvis usus nostros, indeq; ipsius saltem applicationis initium fit.

X. Quid ergo, si rem istam commodavero, locavero &c. adeòq; illa transierit è mea in alterius custodiam? Resp. Tunc nos tenemus corpore alterius, veluti instrumento. *per §. 5. Conf. §. 17. infr.*

XI. Alia demonstratio: Res corporeæ non possunt nisi instrumentis corporeis, non verò nuda voluntate, moveri sive transferri, quod constat. Ast dominium naturali continetur ut ipsum corpus in nos transferatur; quia illud dominium in ipso corpore fruendo consistit, *per §. 1.* idq; itidem constat. E. illud dominium non potest nisi corpore, seu instrumentis corporeis transferri; quæ corporalis translatio nihil est nisi traditio. *per §. 2.*

XII. Tertia demonstratio: Non potest ulla, & ne minima quidem dispositio cum effectu fieri, nisi res tradita sit: finge; Rem tibi non traditam vendis, vel locas; ex natura horum contractuum teneris præstare, ut alter rem habere, eaq; liberè uti possit: non potes, si ipse non habes, & nisi priùs tibi tradatur; atq; ita in cæteris. Et quomodo E. ibi erit dominium, quod est genus dispositionis plenissimum, ubi ne minima quidem potest esse dispositio efficax.

XIII. Quomodo E. res nostra esse & ad usus nostros applicari potest, si omnis utilitas sit penes alium. Resp. Eo casu dominium consistit in sola rei substantia, adeoque hanc solam, vendendo, donando &c. non fructus ad usus suos convertere potest. per §. 6.

XIV. Contrarium quoque videtur, quod traditione quoque facta saepius dominus non possit de re disponere; forte inundatione, absentia, aliisve causis impeditus. Resp. Omnibus tamen his casibus res est in custodia domini, non alterius §. 5. adeoque etsi exercitium hujus custodiae, & effectus domini impedimento naturali ad tempus tollatur, ipsum tamen jus manet. Ita ipsa possessio sine dubio non nisi corpore quaeritur, quia tota in eo consistit ut quis corpore incumbere rei possit: id tamen non impedit, quod minus absens aut aliis causis impeditus, ne insistere rei possit corpore suo, eandem possessionem retineat; quia in custodia ipsius nihilominus res manet, juxta d. §. 5.

XV. Percurremus jam argumenta Grotii, quae ferè ex jure civili desumpta sunt: *In multis casibus, inquit, etiam ante adeptam possessionem transit dominium, uti in hereditate, l. 23. pr. Adq. her. legat. l. 64. fin. Furt. si quid piis locis donatum vel relictum. l. 23. C. ss. Eccl. in causa alimentorum. l. 1. C. don. qua sub mod. &c.* Resp. Quod lex civilis his casibus transfert ipso jure dominium, id tantum obtinet in effectibus civilibus, scilicet in jure vindicationis, non verò in effectibus domini naturalis: nim. civili hoc dominio non continetur corpus, quod corpore transferendum, sed jus actionis in rem, seu vindicatio, quae, ut reliquae actiones, juris civilis est & sola quae lege concedi potest: Hoc quoad legata ostenditur ex l. 1. pr. C. comm. de leg. ubi vindicatio, quae olim uni saltem speciei propria erat, tribuitur omnibus. Ita quoque in d. l. 23. & d. l. 1. nihil conceditur nisi actio in rem. Caterum verum ac naturale dominium demum post aditam hereditatem agnito & accepto legato acquiritur l. 44 §. 1. l. 86. §. 2. leg. 1.

XVI. Deinde opponit Grot. quod is, cui res donatur usufructu retento, l. 28. C. Don. aut conceditur, cum jam possideat, l. 21. pr. A. R. D. Item in casibus §. interdum. Rer. div. sine traditione dominium acquirit. Resp. In his casibus ille per constitutum possessorium rem jam tenet, adeoque non potest ei amplius res tradi, quam jam habet: cum enim actus nostri corporei non solum nobis sed & aliis instrumento esse possint, §. 5. quod totum ab agentis animo dependet, hinc & is, qui suo nomine possidet, uti in d. l. 28. potest alieno; & qui alieno tenet, uti in d. l. 21. & d. §. interdum. suo nomine possidere incipere, l. 51. l. 18. princ. Adq. poss.

XVII. Denique allegat l. 1. l. 2. Pro soc. quod omnes res communicari possint sine traditione. Resp. Hoc ideo, quia in societate omnium bonorum necessario utriusque quoque communis est omnis custodia, §. 5. Quod verò missilia quoque allegat responsionem non meretur.

XVIII. Sunt, qui distinguunt inter dominium, quatenus consistit in facultate morali, & quatenus in facultate naturali. Sed male: quod jam non discutimus.

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

mit V 17







ur. Nat. & Gent.

28

ITIO

RIA SIT

RENDUM

UM,
UMINE,

E
COCCEJO,

gent. Profefs.

ate

YER, ERBACO-
ENSI,

lum proposita
. b. l. q. s.



RGÆ,

NII, *ACAD. Typogr.*
XXVI.

